



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. II. Continuum actu habet partes, & variæ sententiæ de illis
proponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

calefaciendi in igne, quia hæc fortè à solis ipsis accidentibus proueniunt; ergo, quia plus virium acquirit ignis ad eas productiones ex materiâ adueniente, non sequitur, eam vnionem esse substantialem, seu per se.

6 Facilius ergo potest dici, vnionem continuatiuam vt sic, nec esse *per se*, hoc est, substantialem, nec *per accidentem*, seu accidentalem, sed abstrahere ab vtroque: nam continuatio materiæ est substantialis continuatio partium caloris, vel quantitatis; si distinguatur, est accidentalis. Hæc sunt certa apud omnes. Ex his autem videtur inferri ratio à priori, quia scilicet ea vnio sequitur naturam extremorum. Quia ergo ambæ partes materiæ vnitæ inter se sunt substantia, ideo vnio illarum est substantialis: quia verò partes caloris sunt accidentales, ideo vnio illarum est accidentalis. Hinc inferitur: Cur vnio cum calore, vel alio accidenti non sit substantialis, quia scilicet calor (& idem est de aliis accidentibus, quæ sunt extrema) non est substantia? Malum autem sequitur ex quocumque defectu, bonum verò ex integrâ causâ.

7 Obiicies autem Primò: Ergo si vniantur duo entia, quantumvis completa substantialiter, fiet vnum per se, quia ibi vtrumque extremum erit substantiale, quod repugnat communi illi principio, *Ex duobus entibus completis non potest fieri vnum per se*. Ante solutionem aduerto, à nonnullis recentioribus, dum respondent huic argumento, quatenus ex eo probatur, ex duabus aquis completis non fieri vnum per se, dari hanc disparitatem, quia quælibet pars aquæ respicit omnes alias per se, cum illis enim facit compositionem per se. Verùm hi in hac solutione explicant idem per idem: quia respicere vnum per se, & facere compositum per se, est idem; argumentum autem contendit, eo quod vna pars sit completa, neque posse respicere per se aliam, neque facere compositionem per se, quod idem est: tu verò distinguis, quando respicit per se, potest facere compositum per se; quando non respicit, non potest. quâ solutione principium illud penitus futile & nugatorium redditur: nam in hoc sensu etiam neque ex duobus entibus incompletis potest fieri vnum per se, quando scilicet duo illa entia incompleta non se respiciunt per se, ergo ex tuâ explicatione nulla specialior repugnantia est in duobus entibus completis, quàm in in cõpletis, ad constituendum ens per se.

9 Obiectioni ergo respondeo, duo entia omnino completa in suo genere non posse naturaliter vniri, ideo non posse ex illis fieri vnum per se: sic vna anima rationalis non vnitur alteri, nec vnus Angelus alteri. Præterea, si materia completa per formam substantialem vnitur alteri formæ, diuinitus non fit ex vtraque & materiâ vnum per se, quia non datur vnio inter illas formas (& hoc vult axioma illud) ex quolibet autem illarum simul cum materiâ fit vnum per se.

Sed vrgebis: Quid si diuinitus vniantur duæ animæ rationales, fieretne vnum per se? Fortè multi dicent, talem vnionem repugnare, sicut etiam inter duos Angelos; quo posito, nulla est difficultas. Eâ tamen admissâ dico, tunc non constituendum vnum substantiale, aut per se, eo quod nulla pars dicit naturâ suâ ordinem ad aliam, imò potiùs repugnantiam. Dico, *neutra*

pars, quia fortè potest aliqua esse forma substantialis, quæ sit supernaturalis subiecto, quæ tamen illi vnatur per se: nam, licet subiectum illam non petat, & contrario tamen forma petit illud subiectum; si autem neutra pars dicit ordinem ad aliam, quomodo per se connectentur? Vnde ad rationem vnionis per se non sufficit, si extrema sint substantia, sed requiritur etiam, vt naturâ suâ inter se sint vnibilia, prout sunt duæ partes materiæ, aquæ, &c. Vbi aduertat velim, me non relabi in rationem recentiorum suprà impugnata: non enim dico, ideo vniri per se, quia se respiciunt per se; sed dico, vniri per se, quia ambæ sunt substantia, & sunt connaturaliter absolute vnibiles, quod vltimum experientia docet, & inde infero, eam esse vnionem per se.

Obiicies Secundò: Actio, etiamli respiciat subiectum quod est substantia, non tamen propterea est substantialis, ergo neque vnio erit substantialis ex eo capite quod respiciat subiecta, quæ sint substantia. Idem est in vocatione, & in aliis. Respondeo facillè, actiones omnes, vocationes, durationes, &c. ex conceptu suo esse extra substantiam rei, quod suis in locis specialiter de qualibet probabitur; vnionem verò, cum aliqua sit de substantiâ rei, vt ab omnibus admittitur, saltem in essentiali; & aliqua sit accidentalis; vt inuestigabimus postea quæ sit substantialis, non possumus meliori principio vti, quàm recurrere ad extrema modo explicato. Vnde, si inter actiones aliquæ essent substantia, aliquæ verò non, certè tunc dicerem, eam quæ afficit substantiam, esse etiam substantiam, illam verò quæ afficit accidentia, esse etiam accidentis; imò ex ipsis actionibus possum confirmare meam sententiam, quia illa actio per se dicitur substantialis, quæ respicit substantiam, ergo ea dicitur vnio per se, quæ connectit substantiam & entia per se. Neque video quo meliori modo ea perfectitas vnionis explicari possit.

SECTIO II.

Continuum actu habet partes, & varia sententia de illis proponuntur.

INQUIRIMUS, an lignum v. g. integretur ex indiuisibilibus ligni finitis, inter se copulatis, an verò ex partibus infinitis; an etiam ex his simul cum indiuisibilibus infinitis. Ratio dubitandi est, quia ex vnâ parte indiuisibile additum indiuisibili videtur non facere maius, quia ea duo debent se tangere secundum se tota seu adæquatè, & consequenter penetrari; ergo non potest continuum componi ex solis indiuisibilibus; addo etiam infinitis, quia si vnum additum alteri non facit maius, nec infinita facient. Aliunde verò actu concedere in arenulâ vel atomo infinitas partes, videtur omnino incredibile, præterquam quod illud continuum debeat esse vel infinitum, vel nullum: nam si illæ partes occupant distinctum locum, occupabunt infinitum, cum in se sint infinitæ; si autem non occupant distinctum, ergo penetrantur inter se, & consequenter non facient aliquid extensiuè maius.

Vt fugerent difficultatem, dixerunt nonnulli, actu in tabulâ v. g. nullas prorsus esse partes, sed eam actu indiuisibilem esse omnino, in potentia verò

erò habere partes, esseque diuisibilem; quæ sententia iam omnino exoleuit. Eam impugnat Huradus Disputatione 15. Physicæ, sect. 1. Ego breuiter hinc eam reicio, Primò à priori, quia (vt sapè dixi) distinctio vel idemitas est prædicatum omnino intrinsecum & essentialè rei, nec illa potest ab alio extrinseco prouenire; vnde fit, vt quod seipso ab alio non distinguitur, nec per potentiam Dei absolutam distingui possit: ergo si lignum bispalmare v.g. actu est indiuisibile, & carens partibus distinctis, repugnat omnino, illud posse diuidi in plures partes, vnde terminis implicatur dum dicitur, non habere actu partes
15 & distinctionem, sed in potentia. Confirmo, pono hic duas aquas separatas, illæ etiam per se sunt veræ & realiter distinctæ; da in vnum vasculum vramque infundi & inter se vniri, quæro, an tunc vna maneat distincta ab alterâ, an non. Si manet, teneo intentum, scilicet actu in continuo dari partes distinctas: si verò idem omnino manent inter se, ergo mutarunt sua intrinseca essentialia prædicata, quia antea erat vna per suamet essentialiam distincta ab aliâ, iam verò est idem cum illâ, quod omnino repugnat, nisi facias questionem de puro nomine, & partes non distinctas dicas, esse idem ac non seiunctas seu separatas, quo sensu verum dicit in re, abuteris tamen nomine *distinctionis*: anima enim, etiam quando actu est vnita, dicitur & est verè distincta à corpore, licet non sit separata ab illo.

16 Secundo argumentor: Ea quibus actu conueniunt contradictoria prædicata, actu distinguuntur, sed ligno, antequam diuidatur, etiam conueniunt prædicata contradictoria ratione partium, ergo componitur partibus realiter distinctis actu. Probat Minor, actu enim sapissimè vna pars ligni calefit, alia verò non; vna humectatur, alia verò non, &c. ergo ratione diuersarum partium illi conueniunt prædicata contradictoria. Confirmatur Primò, quando vnitæ sunt inter se manus & brachium, non potest dici, *manus est brachium*, aut è contrario, ergo etiam quando actu vnitæ sunt illæ partes, distinguuntur: imò, nisi actu distinguerentur, non possent actu vniri, quia vnio essentialiter est inter extrema distincta.
17 Confirmatur Secundò, quia eodem modo debet dicere, animam & corpus, quando vniuntur, non distingui inter se, quod falsum omnino est.

Si verò respondeant, concedentes, eo ipso quòd vna pars calefiat, alia verò non, fieri designationem partium, facillimè impugnabuntur: nam eo ipso omne continuum semper erit designatum in partes, semper enim habet prædicata contradictoria secundum aliquid; nam aliquid est in asserere dextrum, aliquid sinistrum, aliquid altius, demissius aliquid, & semper respondent diuerso saltè spatio imaginario.

Nec satisfaciunt, si rursus dicant, in asserere nihil esse dextrum aut sinistrum sed idem indiuisibile respiciens partem dextram & sinistram. Non, inquam, satisfaciunt, quia de ipsâ albedine & calore hoc ipsum dicere possent, scilicet, nec per albedinem & nigredinem, calorem & frigus fieri designationem, nec esse aliquid album, & aliquid nigrum, sed idem indiuisibile respiciens albedinem & nigredinem, calorem & frigus, quo iam retractant priorem solutionem. Deinde,

quis negabit in statuâ esse manum, dextram & sinistram, etiam si tota statuâ sit ex vno trunco? Idem est in homine, equo, &c.

Tertiò principaliter eam sententiam impugno, 18 quia in eâ planè eius auctores videtur sibi aduersari: dicunt enim, eo ipso quòd ego manu, vel lingua, vel alio modo vnâ partem ex illis assigno, iam fieri distinctam ab aliâ; ex quo sic Primo argumentor euidenter: Distinctio vnus partis ab aliâ, est aliquid intrinsecum ipsi parti, est enim prædicatum essentialè, fundans negationem alterius: atqui mea designatio est quid extrinsecum aquæ, nec eam afficit intrinsecè, aut vllò modo intrinsecè immutat, ergo repugnat, vt det illi distinctionem intrinsecam, ergo si post designationem eam habent distinctionem, etiam & ante designationem. Secundò sic inde argumentor. Hi Auctores, quia vident vnionem semper esse inter distincta, negant partes illas in continuo actu vnitas, ne cogantur eas dicere duas & inter se distinctas; ergo cum iam dicant, post meam assignationem eas partes esse inter se distinctas, debebunt necessariò dicere, iam post designationem etiam esse vnitas, & consequenter eo ipso quòd ego dico, *illa & illa pars aquæ*, iam resultare inter illas vnionem intrinsecam distinctam; quo nihil absurdius dici potest. Quòd si dicant, tunc non resultare vnionem; contra, Ergo cum antea non essent vnitæ, quia per se erat vna res indiuisibilis, & iam non resultauerit vnio, manebunt sine vnione sicut antea, & iam manebunt actu plures; ergo post meam designationem per intellectum, tota aqua Oceani discontinuatur inter se, qui est alius error peior priore. Inde Tertiò sic argumentor, & rogo, Ea designatio, quæ ego facio eas partes actu distinctas, quamdiu eas relinquit distinctas? an postea in perpetuum, an solum quamdiu ego loquor & designo? Si primum, rogo, quid intrinsecum reliquerit postea in perpetuum in eâ aquâ mea designatio heri habita, ratione cuius iam semper ea duo distinguantur. Certè nihil, & consequenter, non potest ab eâ talis distinctio postea prouenire. Si verò dicas secundum, scilicet cum primum ego cesso loqui, fuisse eas partes iterum inter se vnum quid indiuisibile factas, rogo, quomodo id contingit, an non tam latum manet mare, & diuersa occupans loca, quando ego cesso loqui de eius partibus, quàm quando de eo disputo? Certè hæc mihi tam videntur euidentia, vt tantum putem, istos in nominis acceptionis errare.

Quartò principaliter eos impugno, quia causa 19 & effectus actu distinguuntur ante omnem nostram designationem, vt per se est euidentis: atqui inter partes continui actu vnitas ante omnem designationem, aliquando vna producit alteram, ergo aliquando vna distinguitur ab aliâ ante omnem meam designationem, quòd si in aliquibus id conceditur, etiam debet in omnibus, est enim eadem ratio. Probo ergo Minorem: in formâ substantiali ignis se ad generationem augente; in eodem enim instanti, quo pars formæ ignis præexistens comburit stupam applicatam, in eodem instanti illam sibi vniti, & manet vnus ignis totalis. Idem clariùs cernitur in animâ equi se nutriendi, in eodem enim instanti nutritionis, quo noua pars producit ab antiquâ, in eodem instanti ex vtraque fit vna anima per se. Idem est in